Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1001
Quelle:
Copyright:

III. qui tantum praenotatur: *Incipit liber tertius.* Ad Operis calcem: *Explicit prosperi liber tertius uouente* (fauente?) *domino.* Lectio ut plurimum proba est, maxime, cum secundae manus cura accesserit.

Fol. ult. addita est manu, ut videtur, Sec. XII. sequens Epistola: *C* (Conradus I.?) *Salzpurgensis ecclesie dei gratia quod est. Abbati P.* (Petrensi?) *ceterisque ibidem fratribus in christo congregatis. cum assiduitate orationum. seruitium deuotum. Quoniam in uicem sumus membra uni capiti scilicet christo adherentes. et alter alterius onera portare debemus. quicquid ex aduerso nobis acciderit. ad uestre portum sanctitatis confugiendo. uobis patefacimus. Nouit caritas uestra qualiter W.* (Wezelinus?) *abbas iniqua propulsione coactus a loco sibi commisso irregulariter ejectus sit et qualiter dominus bruno non per ostium sed aliunde subintrauerit. De qua re et prius uiua uoce uobiscum egimus sed parum in hoc profecimus. Monendo igitur sanctitatem uestram deprecamur. ut eum monendo. sanum consilium dando ad satisfactionem prouocetis. Si autem uos audire noluerit. licet hunc ordinem causa uestre ueneationis inuitus infestem. secundum ordinis uestri institutum et instituta canonum eum uocabimus. et ad satisfactionem cogemus. Rogamus et ut eundem dominum brunonem moneatis quod a nobis ratisbone conuictus se inique egisse confessus est. nec se amplius uelle intromittere sed ad proprium claustrum redire laudauit.* Id est, publico scripto *(Laudum)* testatus est. Dum quis certiora doceat, conjecturas meas ipsi *Epistolae* insperſi; non enim aevo illo alium Episcopum *C.* et Abbatem *W. Salisburgi* simul egisse invenio, quam *Conradum* I. et *Wezelinum.* Nisi quis dicat literam illam *P.* sub initium non Coenobium *Petrense*, sed aliud quoddam in Dioecesi *Salisburg.* significare.

Codicem nostrum ad *Lambacense* olim O. S. B. in *Austria* super. Monasterium pertinuisse, innuere videtur vox *Lambach* summae *fol. 3. p. 2.* orae inscripta.

CCLXXVII. VII D. 21

Codex membraneus lat. Sec. X. Folior. nunc 188. f. pro diversitate opusculorum, quae insunt, non una manu, sed ut plurimum nitide exaratus, rubricis distinctus, magnique pretii, continet: I. *Bonifacii* patrio nomine *Wynfrethi*, *Winfridi*, *Wenefridi*, Angli ex Monacho Archiepiscopi *Moguntini* et *Germaniae* Apostoli, demum a *Frisiis* gentilibus anno Chr. DCCLV. ut tenet *Pagius* ad *h. a.* interfecti, pluriumque Pontificum, Regum, aliorumque *Epistolas* CXVII. quas ex hoc ipso *Codice* XXXIV. aliis ex *Cod. Ingolstadiensi* auctas in lucem dedit vir doctus *Nicolaus Serarius* S. J. *Moguntiae* 1605. 4. exemplaribus quibusdam annum 1629. praeferentibus, non incelebri Typographorum mendacio. 259